

## NOTAE AD CORIPPI IOHANNIDA PERTINENTES CRITICAE

Scriptorum multis annis neglectorum editiones philologos in certamina vocare solent eo maiora, quo impensis feliciusque illae rem promoverunt. Sic factum est, ut editio Iohannidos, quam post Josephum Partsch (1879) et Michaelem Petschenig (1886) primi nuper J. Diggle et F. R. D. Goodyear (*infra* D.-G.) Cantabrigiae publicaverunt<sup>1</sup>), amicis poetae non tam laudibus efferenda quam curis maximis examinanda vel hic illic emendanda esse videretur. Hoc modo quod studia Corippi non solum incitaverunt, verum funditus instaurare augere acuere valuerunt, id inter novorum editorum merita haud minima habuerim gratoque animo, quae eis debeam, et ipse adnotatiunculas quasdam prolaturus confiteor me ubique sentire.

### 1.

In Iohannidos teste unico, sc. codice Trivultiano 686 (saec. XIV), ordinem versum turbatum esse locis tribus olim Petschenig, pluribus hoc tempore D.-G. sibi persuaserunt, ita ut codicis fides iam haud leviter infirmata videatur et incautissimus quisque ad alias huiusmodi coniecturas invitari possit. Tanti momenti rem eo magis nova examinatione dignam esse censemus, quod non solum Partsch in ipsa Petschenigii editione reconsenda de versibus traiectis dubitavit, sed editionis etiam Cantabrigiensis arbitri quidam in eadem ordinis mutandi licentia offendiverunt<sup>2</sup>). Horum sententia comprobata versus 4,35–37 suo

---

1) Flavii Cresconii Corippi Iohannidos seu *De bellis Libycis libri VIII*, ediderunt J. Diggle et F. R. D. Goodyear 1970.

2) Partsch, *Berliner Philologische Wochenschrift* 7, 1887, 140. P. Langlois, *Revue des Études Latines* 48, 1970, 514 sq. P. Tordeur, *Latomus* 30, 1971, 839. Confidentius editoribus assensus est I. Cazzaniga, *Giornale Italiano di Filologia* 22, 1970, 3,95 (cf. adn. 8). Ex eis, qui Iohannida in linguas nostras verterunt, J. Alix (*Revue Tunisienne* 6, 1899/9, 1902) versuum 2,470. 3,326. 4,35–37 trajectiones a Petschenigio propositas omnino neglexit, G. W. Shea (*The Johannis of Fl. Cr. Corippus / Prolegomena and translation*, Diss. Columbia Univ. 1966, opus

loco retinendos esse nuperrime demonstravi pluraque, quae ad rem pertinent, promisi<sup>3)</sup>.

In descriptione somniorum, quibus Romani victoram, Mauri cladem praescire videntur (2,451 sqq. 471 sqq.), versum 470 *et risere viri ... somnum Petschenig<sup>4)</sup>* loco tradito recte stare negavit et interpolatum vel potius post 487 collocandum, id est de Mauris intellegendum esse censuit. Huic conjectuae a novis editoribus receptae adsentiri vix poterit, quicumque somnia illa ita inter se opponi animadverterit, ut ordine rerum, sententiis, verbis invicem respondeant. Id maxime apparet in initii<sup>5)</sup> et in ipsis versibus extremis, quibus militum somniantium gestus in socios iuxta dormientes deflexi et expergiscentium animi liberi hilaresque facti perhibentur. Talia enim fiunt in castris Romanis (468–470): *quotiens excuso dextra lacerto<sup>6)</sup>, | dum putat adversum, socium ferit improba pectus | et risere viri referentes proelia somnum!* Talia apud Mauros (481 sqq. 486–488): *dum vitare parat violenti vulneris ictus, | coniugis excuso concussit (sc. hostis) vertice pectus | ...; diram referentes nocte quietem | torrentur visis, gaudent sed falsa fuisse: | donavit miseris modicum sua gaudia tempus.* Videamus, ne responsio artissima amoenissimaque deleatur; nolimus modicum barbarorum gaudium confundere cum risu illo, quem potius Romanos proelia felicia referentes victoriaeque futurae sibi conscos decere opinor.

Versibus 3,320 sqq. *tunc facta est nostrae requies pinguissima terrae* etc. laudes pacis illius continentur, quae Belisarii Germanique victoram de Stutia partam secuta erat requiemque quandam olim ortam, cum Geilamir a Belisario captus esset, pleniores reddiderat (cf. ibid. 28 sqq. 284 sqq.). Poeta postquam statum rerum salutariter mutatum exposuit (321–323 *non bellum, non*

machina scriptum) ordinem nisi 4,35 sqq. non mutavit; hoc quarti libri loco illum etiam O. Veh secutus est (Prokop, Vandalenkriege, griechisch-deutsch 1971, 434/435 sqq. ‚Auszüge aus Corippus‘; ibid. 3,326 ipsa versio a textu discrepat). Nihil lucri adfert exemplar editionis Petschenigianae a. 1967 sine apparatu critico mechanice iteratum Patrol. Lat. Suppl. IV 998 sqq.

3) Philologus 124, 1980, 126 adn. 46.

4) Wiener Studien 4, 1882, 292 sq.

5) 458 *castra aliena rapit* (sc. miles Romanus) ~ 473 *castra rapi videt* (sc. acies Maurusia). Ex sequentibus e. g. 467 *vult ... movere manus, languescunt fessa sopore membra viri* (Lachmann; codicis lectione *virum* retenta vocem *languescunt* transitive usurpari creditit Petschenig) consonat cum 478 *currere quisque volet, languescunt membra timore* etc.

6) Sic pro e. *dextera ferro* in apparatu critico coniecit Diggle coll. 482 *excuso ... vertice* (v. supra).

*praedo rapax, non miles avarus | rustica tecta subit, temptatur nulla supellex, | omnia plena bonis: Libyae pax tuta per orbem) et novam messium ubertatem enarravit (324 sq. *tunc fecunda Ceres, tunc laetus pampinus uvis | pictaque gemmiferis arbor splendebat olivis*), pampini laeti vix immemor (cf. 33 *laeti ... Iacchi*) gaudia illa incolarum versibus 284 et 289 celebrata iam fusius explicat (326 sqq.): *miles et in propriis laetatus sedibus insons | cultor ... suas plantare novellas | cooperat et ... | arva serebat ovans ...; | ausus et ad lunam laetus cantare viator etc.* Ultimae huius simuli que praecipuae partis exordium *miles ... insons* (326) post 323 Petschenig<sup>7)</sup>, Mazzucchellii conjectura vel potius falsa lectione *laetatur arrepta* post 322 Diggle transposuit<sup>8)</sup>. At hunc versus 322 et 323 artissime cohaerentes (... *temptatur nulla supellex, | omnia plena bonis ...*) disiunxisse, illum sententiam *Libyae pax tuta per orbem* (323) verbis eo minus aptis, quod poeta teste praeter milites etiam praedones pacem turbaverant, continuasse displicet. Accedit, quod vox *laetatus* contextui laetitiam communem describenti optime convenit. Igitur dubitari vix potest, quin versuum ordo in codice lectus retineri et poeta ita intellegi debeat, ut *miles insons cultor*<sup>9)</sup> factus novellis plantandis arvisque serendis laetari dicatur. Id autem editoribus concedatur necesse est sententiam a *miles et incipientem aegre ipsis laudibus messium adnecti posse*. Propterea inter 325 et 326 versum excidisse suspicor, quo poeta forsitan milites agricolarum socios factos esse expresse indicaverit<sup>10)</sup>.*

5,1 sqq. Romanorum Maurorumque copias invicem adpropinquantes spatio relicto constitisse et ipsos imperatores, ut alter alterum ad proelia provocaret, in conspectum venisse legimus. Antalas postquam Iohannem procul vidit agnoscitque, (10) *celso per tela suorum | egrediens tunc fertur equo magnique magistri | transiit ante oculos domitum* (Petschenig, domini cod.)

7) Studien zu dem Epiker Corippus, Wien 1885, 5 (= Sitzungsberichte der Wiener Akademie 109, 633). Mire V. Tandoi, Atene e Roma 19, 1974, 68 ordini tradito indiligentiam syntacticam obiecit eamque «con la ricerca di enfasi» defendi posse sibi persuasit.

8) Probavit I. Cazzaniga, Giornale Italiano di Filologia l.c. et Rivista di Filologia III 100, 1972, 59.

9) Hae voces olim interpunctione distingui solebant.

10) Cum 326 quodammodo consonat 5,416 *habeat sua gaudia raptor | miles et in propriis laetetur fortior ausis.* Similiter iunctura *miles et antecedentia continuat 5,389 stat ... | m. et ... premit.* 6,370, 8,645 et subiectis mutatis 5,351 *Mavors ... cogebat ..., | m. et ... cooperat.* 6,362 *it ... | m., et ... conturbant pectora curae.* 8,380 *acies construxerat ... | m., et ... properabant ... turmae.*

*post terga reflectens | cornipedem frenis. hosti tamen obvius ivit | congressus <sup>+vacuis</sup><sup>+11)</sup> ductor fortissimus armis. | arripit ille fugam, sed ab adversario ignaviae incusatus erubuit maerensque suis se immiscuit armis* (21). Hemistichia *domitum ... frenis post fugam* (15) inserens Diggle («quod fugam procul dubio significant ... tam illic inepta sunt quam huic loco congruunt») effecit, ut *descriptio fugae nimis abunda, strategematis paene manca debilisque videatur*. Id quidem satis constat barbaris fugientibus equos domando flexibles factos multum profuisse<sup>12</sup>). In ipsa autem hostium provocatione quomodo Maurus *domitis confisus equis* fuerit, Corippus in extrema libri primi parte disertius explicat (1,540 sqq.): *tunc belliger astu | mittitur in planos rarus qui proelia campos | provocet et visos fugiens exaggeret hostes. | ille ... bastilia ... | vibrat et incurvo nec (i. «non») cessat flectere gyro | cornipedem domitum. sed cum properaverit hostis, | arte fugit etc.* Talem gyrum, nisi fallor, poeta nostro loco circumscripsit Antalam ita ante oculos Iohannis transisse dicens, ut etiam atque etiam fraudulenter equo reflexo suos peteret. Igitur verbis *domitum ... frenis* non eam fugam, qua per ignaviam arrepta ille postea erubuit, sed haud aliter ac 1,542 strategema adversarii exaggerandi causa factum indicari et hemistichia 12 b/13 a minime loco suo movenda esse crediderim<sup>13</sup>).

11) Ex coniecturis a D.-G. adnotatis forsitan aut *paucis* (Petschenig coll. 17 *milite cum parvo veniens ... Iohannes*, sim. 1,482. 4,377) aut ipsa vox *parvis* (Schenkl) contextui fortitudinem ductoris laudanti melius ceteris conveniat. Iohannem tum *vacuis ... arvis* (D. Knecht, L'Antiquité Classique 40, 1971, 681 coll. 4 *vacui ... campi*) hosti obviām isse certum est, sed quid momenti id hic habeat, ignoro. Ad lectionem traditam rediens D. R. Shackleton Bailey, Gnomon 43, 1971, 518 arma propter fugam Antalae *sinutilia* dici arbitratur.

12) 5,129 *flectit equum domitans. 212 domitum ... contorsit equum.* De hoc bellandi genere cf. M. Riedmüller, Die Johannis des Corippus als Quelle libyscher Ethnologie, Diss. Erlangen 1919, 56 sqq.

13) Haud felicius Knecht l.c. 680. 686 hemistichiis transponendis locos quosdam corruptos emendare conatus est. Primum dico 3,256–259 *ceu glauca(m) veniens* («perhaps *vehemens* or *vemens*?») L. Håkanson, Classical Quarterly 27, 1977, 227 sine necessitate) grando *destringit olivam | arboris excutiens concusso vertice fructus, | tunc <sup>+preceps</sup> pariter ad terram pondere nimbi | et (sic frustra temptavit Cazzaniga, Giornale Italiano di Filologia l.c. 103) tener excutitur quassatus grandine ramus.* Postquam D.-G. horum versuum medelam nemini umquam contigisse doluerunt, ille verbis *concusso v. f.* (257<sup>b</sup>) et *ad terram p. n.* (258<sup>b</sup>) invicem mutatis effecit, ut *arboris* non a *vertice* vel *fructus*, sed ab *olivam* penderet, quod valde displicet. Potius post *pariter* lacunam hiare autumaverim; haec enim vox non solum productione Corippo insolita (v. Gnomon 51, 1979, 25) offendit, verum etiam cum 252 (de ipsa re, quae comparatione illa illustratur) *pariter turbata ruunt de montibus altis agmina densa virum* ita consonat, ut non olivas ramosque

Addantur loci, qui an versibus traiciendis expoliri vel emendi possint, D.-G. in apparatu tantum critico deliberant:

Carminis prooemium (1,1–8) poeta exemplis celeberrimis Vergilii Lucanique usus<sup>14)</sup>) ita digessit, ut primo res canendas comprehenderet (1–3 *signa duces ... fractos viribus hostes*), deinde haec exponeret (4–7): *indictamque famem populis laticesque negatos, | utraque letifero turbantes castra tumultu, | turbatos stratosque cano populosque subactos, | ductorem et magno signantem facta triumpho.* Vix recte Diggle *turbantes* sc. *populos* intellegi structuramque ordine versuum 5 et 6 inverso ‘suaviorem’ reddi posse dubitans quidem autumavit<sup>15)</sup>). Nonne participium illud potius interpunctione sublata ad *latices ... negatos* simulque per synesin ad *indictam ... famem* referendum est<sup>16)</sup>? Nonne animo poetae inopia illa obversabatur, qua in desertis laborantes Romanos tumultuari coepisse, Mauros proeliis recusatis fugam petivisse libro sexto enarraturus erat<sup>17)</sup>? Binis versibus tam famem, sitim, tumultum communem quam alterius partis cladem, alterius victoriam – nam ne 6 quidem et 7 divelli possunt – adumbrans Corip-

simul cadentes, sed olivarum cadentium densitatem indicare videatur, cuius descriptionem desideramus. Ceterum quoniam 8,516 sq. in comparatione simili legimus *arbor nec densior ulla defendit teneros foliorum* (*defundit t. filiorum cod.*) *tegmine ramos*, nescio an 259 *excutitur* aut corruptum sit (*exuitur* coniecit H. Wieland per litteras coll. Thes. V 2, 2121, 39 sq.) aut fere idem valeat ac *privatur*, sc. foliis, cf. Tert. adv. Marc. 1,17 p. 312,19 sq. *ut ... ramulos eius excutiam sc. quaestionis* (v. Thes. l.c. 1312,42 sqq.; obstare videtur 257 *excutiens* *removens*, *deiciens*), sed notiones verborum variantur etiam 5,27 sq. 7,484/7. 8,390/3). – De hemisticchii 7,178 sq. transpositis v. adn. 27.

14) Horum prooema interpretatus est W. D. Lebek, *Lucans Pharsalia/ Dichtungsstruktur und Zeitbezug* (1976) 18 sqq. Ipse Corippus v. 8 Aeneida carmine suo innovari profiteret.

15) Similiter iudicavit de 1,76 sq. loco parum eleganti, vix corrupto.

16) Alix l.c. 6, 1899, 148 vertit «la famine et la soif accablant les soldats et jetant dans les deux camps un désordre fatal», similiter Shea l.c. 162. Cf. Cic. Mur. 35 *dies intermissus aut nox interposita saepe perturbat omnia* (usum variis exemplis illustrant Hofmann-Szantyr 393 sq.).

17) De Romanis agitur 6,300 sqq. passim, de barbaris ibid. 274 sq. 335 sqq. 437 sqq. Etiam equis defectu pabulorum aquaque tantopere pressis, ut multi herbis malis pasti morerentur, apud milites tumultum ortum esse legimus 6,347 sqq., ubi 364 sq. *primo tunc castra tumultu | turbavit fortuna nocens* (cf. de Mauris 444 sqq. *ire retrorsum | persuasit fortuna nocens* etc., ceterum 2,236 *conturbans castra tumultu*) ipsis prooemii verbis respondent. Ex rerum gestarum copia quod poeta in prooemio has memoratu dignas habuit, quodammodo in Lucani nec non Statii honorem factum est; hos enim eum in illa inopia describenda aemulatum esse constat (versibus 305 sqq. ad Thebaidos quartum, 340 sqq. ad Belli civilis nonum librum lectores revocat).

pus prooemio disponendo, quamquam antecessoribus arte ingenioque multum cessit, tamen non omnino defuit.

Libro secundo hostes primis proeliis fusos esse Romanosque iussu Iohannis castra locasse legimus (2,273 *candida mox niveis figunt tentoria velis* sec. Verg. Aen. 1,469). Tum milites variis operibus occupati discurrebant (275 sqq.): *pars arma reponit | alta locis, pensat pharetras arcusque retendit, | arduaque excelsis* (Partsch, celis cod.) *sustentant vela columnis, | ordine configunt ... hastas* etc. (quid *pars altera gesserit*, enarratur 282 sqq.). Editores aut versum 277 post 273 ponendum aut pro *vela* «fortasse tela scribendum ...», quamquam *tela columnis sustentare* paene absurdum est» (cf. 281 *tela reponunt*) sibi persuaserunt. At columnae in castris vel ipsis tentoriis ceterum inauditae (Thes. III 1740,62) offensam habent, quam ne loco quidem mutando imminui appetet. Igitur nescio an versu 277 corruptela gravior lateat idque eo magis, quod velorum vice armorum genus fortasse mollius, si non columnis, saltem adminiculo satis alto – *ardua enim praedictive dictum esse videtur ut antea alta – sustentandum desideratur*<sup>18</sup>).

## 2.

Ex longa serie corruptelarum nondum emendarum paucissimis retractandis contentus esse velim.

Liberatus postquam ultimis libri tertii versibus Stutiam tyrannum Solomone mortuo iterum rebellasse dixit (3,458–460 *perfidus et Stutias* etc.), ipsas eius insidias libro quarto enarratus septem versus vice prooemii fungentes praemittit (4,1–7)<sup>19</sup>: *+ductor iacet+ infandi nomen memorare tyranni | surgit ... conturbans ossa ... | durior ecce dolor. confusa mente retardor | tot clades memorare ducum* etc. Cum D.-G. variis coniecturis reiectis initium crucibus cinxisse («verum adhuc latet»)<sup>20</sup>), J. Delz litteris ductor formam verbi in –*or* cadentem subesse arbitratus procul

18) Adfuturos esse spero, qui verba litteris *vela columnis* melius respondentia inveniant quam, id quod mihi in mentem venit, *cingula lignis* (nisi *ramis vel dumis*). Mazzucchellii coniecturam *ardua quae celsis sustentent* post Bekkerum solus probasse videtur Shea l.c. 197 «fixed in order ... the poles which support the lofty canvas with their towering columns».

19) Prooemia septenos versus comprehendentia inde ab Iliade usque ad aevi cadentis latitudinem perstrinxit Lebek l.c.

20) Deinde *ossa* («fort. ora ...» D.-G.) defendi potuit collatis 181 *immensus duris dolor ossibus arsit.* 6,705 *dolor ... ossibus arsit.*

dubio aptissimam medendi rationem invenit<sup>21)</sup>). Pro eis, quae dubitanter et exempli gratia proposuit, potius *cunctor at infandi n. m. t.: surgit* etc. legendum esse crediderim. Nam non modo *cunctor ... memorare* et 3 sq. *retardor ... memorare* invicem respondent, verum etiam particula *at*<sup>22)</sup> oratori bene convenit, qui nomen Stutiae iterum perfidi semel quidem antea memoravit, decies autem deinde sibi memorandum esse dolet.

Post Maurorum cladem libro quinto descriptam Carcasan gentis cuiusdam Syrticae dux id agit, ut copiarum reliquiae omnes undique contrahantur et se duce Romanos denuo aggrediantur (6,104 sqq.). Oratione apud exercitum habita hortatur, ne quis auxilium deorum sublatum esse credit (116 sqq.): *non ita vult Ammon, non +nam qui numina Gurzil | sic violata dolet, non sic fortuna minatur, | quae voluit servare viros.* D.-G. Partschii conjectura iam recepta enuntiatum relativum pro re certa habere videntur, quamvis mire claudicet et parallelismum tricoli *non ita ..., non ... sic ..., non sic tantopere conturbet*, ut priores editores haud sine ratione pro *nam qui aut umquam* (Mazzucchellius) aut *in-quam* (Bekker) substituerint. Sed malim lectores ad ipsius libri quinti finem revocare, ubi poeta Iernam sacerdotem cum idolis Gurzil dei fugientem describit et illo mortuo Romanos sculptilia fracturos ignique conflatuos esse praedicit (5,501 sq.): *dum frangitur ille per hostes, dum confla(n)t nitidum flamma solvente metallum* (Mazzucchellius, *maxillum* cod.)<sup>23)</sup>. Idem iam Iohannes nuntio ad Antalam misso praedixerat 2,405 sq. *disperso robore Gurzil scinditur* (i. <etur> *ardentesque palam mittetur ad ignes.* Igitur non dubito, quin *non flammis numina Gurzil sic violata dolet* legendum sit. Carcasan simulacra novasse legimus 6,207.

Libro septimo soliloquium continetur mulieris nomine carentis, quae maritum Iohannem seniorem voragine mersum interisse (6,753 sqq.) fama comperit (7,154 sqq.). Huius orationis fere media pars mendis ita scatet, ut novissimi editores de medelis desperantes ipsum Corippum vituperare non cessent (7,174–179):

21) Mus. Helv. 29, 1972, 294 «etwa *ducōr ut ...?*». Male *dux iubet* coniecit G. A. Cavajoni, Istituto Lombardo (Accademia di Scienze e Lettere), Rendiconti / Classe di Lettere etc. 106, Mediolani 1972, 413 sq.

22) Ab ea ipsa incipiunt Verg. Aen. 4, Ov. met. 4, Lucan. 9, Val. Fl. 6, Sil. 15, Stat. Theb. 3 (v. Thes. II 1005, 1 sqq.). Ceterum in poesi inde a Catullo Vergilioque haud raro postponitur (v. ibid. 992, 66 sqq.), in Iohannide sexies (1,131. 2,154. 4,177. 597. 5,323. 8,167); *ast secundo loco restituitur* Iust. 4,139. 262 (cf. Thes. l.c. 944, 16 sqq.).

23) Verbis consonat Iust. 3,378 *monstra ..., quae variis extant conflata* (i. ‘flando formata’) *metallis*.

*nunc pariter miseros capere(n)t fors saeva sepulcri | clausa duos  
ruptae subito* (Mazzucchellius, *rupit subitus* cod.) *telluris hiatu.* |  
*dulcia consertis strinxisse pectora palmis* (idem, *frinxisse p. pal-*  
*mas* cod.) | *misquissemque simul corpus complexa mariti.* | *dulce*  
*mori miseris: iterum comes ire per umbras | atque utinam fatis*  
*cupid(a)e licuisset amanti!* Exordia nescio an aut sanata aut sana  
sint. Nam *sepulcrum* de voragine mortifera tropice dictum<sup>24)</sup>  
eorum bilem movere vix poterit, qui res suo loco enarratas respici  
viderint (6,772 *tribuit ... sepulcrum* sc. *fortuna Iohanni*).  
Maiores quandam difficultatem deinde verbum *misquissem* adfert  
non tam propter prosodiam quam quia omnino incommodum ac  
paene foedum esse videtur<sup>25)</sup>: egregie iam Partschium coll. 6,768  
*absorptus ... voragine mersit* (sc. *equus Iohannis*) restituisse *mersa*  
*essem*, postea rectius de ipso intransitivo *mersissem* cogitasse<sup>26)</sup>  
mihi constat, quamquam haec emendatio a D.-G. ne memoratu  
quidem digna iudicatur. At vere gravis offensa inest versibus 178  
sq., ubi quomodo sententia ab *atque utinam* incipiens cum antece-  
dentibus cohaereat, valde ambigitur. Sed utut res se habet, vocem  
*iterum* ineptam eoque ineptiorem, quod ab infinitivo aegre divelli  
potest, scalpello indigere persuasum habeo et omnes, qui ea reten-  
ta medelam quaerunt, frustrari opinor<sup>27)</sup>. Quin ea extirpata  
locum damus verbo apto, quod locutionem illam *comes ire per*  
*umbra*s ducere possit? Vero proximus olim fuit Mazzucchellius,  
qui *misero possem comes i. p. u. temptavit* coll. Verg. Aen. 12,880  
sq. (Iuturna:) *possem ... misero fratri comes ire per umbra*s<sup>28)</sup>! At

24) «Ineptiam versus licet admirari: nam qui subito telluris hiatui succumbit non sepulcrum offendit sed miraculo abreptus totus evanescit» Diggle ad 1.

25) Quamvis mensura *misca-* (legitime 3,348 *misuerat*. Iust. 3,298 *mis-*  
*cuimus*) coll. 5,47 *parvēre* («*fort. pānuere*» Petschenig in indice, vix recte) defendi  
soleat, Thesaurus s. v. *misceo* ne illud quidem exemplum admisit. Ceterum D.-G.  
eique, quorum sententias recensent, lectione *misquissem* (vel *mista issem, m. essem*)  
probata tam misere laborant, ut verbum miscendi a contextu alienum esse appareat  
(`... irre ich mich in dem Eindruck, daß hier das Ungeschick der Rede sich zur  
Unschicklichkeit steigert?» Partsch, Berliner Philologische Wochenschrift l.c.  
143).

26) l.c. 142 «ich muß ... meine Vermutung ‘mersa essemque’ (meinetwe-  
gen auch ‘mersissemque’) festhalten»; cf. Alix l.c. 8, 1901, 327 «je serais descendue  
dans le tombeau» (quem textum deinde 176 sq. secutus sit, non liquet). Usum  
intransitivum primitus dactylicorum fere proprium aevo christiano increbruisse  
colligitur ex indice syntactico Thes. VIII 835, 35 sqq.

27) Eis adnumeretur Knecht l.c. 278 et 686 ad ordinem verborum sic  
mutandum configiens: *atque utinam fatis iterum comes ire per umbras | (dulce*  
*mori miseris) cupidae licuisset amanti!*

28) Cf. Coripp. 5,143 *an fratri potius comes ire parabas?* 7,429 (~ Aen.

nescio an ipsum illud *possem* sequente *licuisset* tautologiam quandam efficiat. Igitur proponere ausim, ut substituatur *vellem*, quod a litteris quidem traditis longius recedere videtur<sup>29</sup>), sed sententiae unice convenit: *vellem comes ire per umbras, atque utinam fatis cupidae licuisset amanti!* Ea ratione hos duos versus, quibus frustra excussis Diggle poetam summae insulsitatis arguit<sup>30</sup>), satis perspicuos reddi posse censuerim.

Postquam Liberatus Mauros arva Iuncensia tenentes exploravit et captivi inde rapti consilia hostium prodiderunt (7,374 sqq.), Iohannes castris motis ad arva illa proficiscitur (8,1 sqq.). Id hostibus non inopinantibus factum esse legimus (8,36 sq.): *sen-serat hoc cautis Carcasan +monitus alis | Antalasque ferox.* Editoribus invitis crucem posui, quoniam *mōn-* omnino inauditum eo minus tolerari potest, quod etiam ipsius Corippi amplius

12,362). 8,506. Adsonant etiam verba Didonis 4,660 *iuvat ire sub umbras* a Coripo 1,488 repetita.

29) Error librarii forsitan inde ortus sit, quod *v* et *it* litteris minusculis scripta aegre discernuntur; cf. vocabula *verum* et *iterum* in codicibus Manil. 2,911. Apul. flor. 9,8 invicem confusa. Facilius nostro loco *iterum* in *merui* mutari possit, nisi hoc verbum apud Corippum aliasque aevi cadentis scriptores sensum impetrandi sim. admitteret. Ceterum ne ante quidem Vergili (l.c. *misero fratri comes*) pedisequus factus poeta sententiam Statii Theb. 5,48 *dulce loqui miseris immiscuisse* videtur.

30) «Textus traditi insulsitatem eo magis tolerare paratus sum quod hac omni coniugis oratione via quicquam in Corippi carminibus insulsius invenies». Ut poeta ceterum haud raro reprehendendus ab opprobris immeritis servetur, primum id monuerimus contextum 7,154–198 rebus strategis enarrandis ita insertum esse, ut lectores interim quasi cantico tam maesto quam amoeno mulceri vel commoveri possent (cf. quae in Philologo l.c. 116 de his versibus et de tumultu militum 8,49–163 exposui). In viduae languore et mulierum Carthaginiensium commiserione depingenda (155–166. 197 sq.) animo poetae Corneliam obversatam esse, quam Lucanus 8,40 sqq. Lesbi Pompeio victo obviam descriperat (subesse matrem Euryali a Vergilio Aen. 9,47 sqq. inductam monet Th. Halter per litteras), id quidem R. Amann dudum docuit (De Corippo priorum poetarum Latinorum imitatore, Diss. Chilon. 1885, 28; cf. F. Skutsch, RE IV 1241). Insuper autem, nisi fallor, in ipso soliloquio quaedam vetustioris illius mulieris querimoniae subaudiuntur; nam uxor Iohannis non solum a deliberando, quare dolor lacrimis verbisque egeat, ita incipit (167–170), ut lectores ad Corneliae verba revocentur (Lucan. 9,69 sq. *quid ... ulla requiris instrumenta, dolor?*), verum etiam haud aliter atque illa (Lucan. 8,584 sqq. 648 sqq.) se mariti peregrinantis sociam factam ei periclitanti defuisse luget (171–173. 186–188) ei mortem maturam pro captivitate desiderat (174–179. 185. 191–194 ~ Lucan. 8,652–661). Has sententias poeta ea ratione, qua hodieque cantica componi solent, variatas iteravit; haud semel Vergilium imitatus omnia rhetorum more cum affectu quadam protulit; argumenta apte auxit versibus 181 sqq. *virtutis adegit causa mori* etc., cf. Homeri illud φθίσει σε τῷ σὸν μένος et Sil. 3, 119 sqq.

viginti locis (*ad) mōn-* mensuratur<sup>31</sup>). Iunctura *cautis* ... *alis* olim addubitata<sup>32</sup>) versu 7,382 *melior cautis percusserat* (sc. *Liberatus*) *armis* ... *gentes* comprobatur, ita ut omnem suspicionem in participium illud cadere appareat. Cum ei, qui carent, aut ipsi providere aut a providentibus admoneri soleant, forsitan poeta cautelam alariorum providentia ducum illustraverit scribens *cautis C. providus alis*<sup>33</sup>).

Additamenta plagulis inserta: Nuperrime V. Tandoi, Studi Italiani di Filologia classica 52, 1980, 68 sq. versus 3,258 sq. (v. supra adn. 13) ordine verborum liberrime innovato audacius quam probabilius tractavit; ibid. 73 sqq. inquirens in versus 4,1 sqq., a quibus examinandis huius scripti particula altera incipit, initio corrupto subesse verba *dum vacat* coniecit; ibid. 80 sqq. disserens de versibus 4,35–37, quos me eodem anno interpretatum esse in adn. 3 monui, pro *medius* proposuit *melius*. Versus 5,10 sqq. in prima particula tractatos etiam M. A. Vinchesi, Studi Classici e Orientali 30, 1980, 152 sq. cum 1,540 sqq. contulit ceterum lectionem *vacuis* ... *armis* denuo defendere conata.

München

Wilhelm Ehlers

31) Notaverim p.p.p. 2,360. 4,610. 7,486 et subst. *monitus*, -ūs 3,80. Iust. 3,337. 4,376. Goodyear, qui omnino duo tantum mensurae legitimae exempla attulit, versu 36 se plane haerere confitetur. Sed cum in exempla vocalium brevium a Corippo productarum inquirens certa a dubiis, leviora a potius barbaris distinguere conatus sit, nescio an variationem in balandi quidem verbo admittendam (*bäl-* 2,398 legitimate; *bäl-* 2,174. Iust. 4,204), in monendi autem verbo madosam esse sibi persuadere potuerit; iure crucibus inclusit *dāmus* 2,333.

32) Mazzucchellum *cautus C. montibus altis temptasse* (cf. 2,261 *cautus ab adversa venientes rupe Melangus vidit*) D.-G. haud iniuria mirantur, quoniam Mauros adventum Iohannis sentientes *planis* ... *campis* – Iunci enim oppidum in ora maritima situm erat – exisse et in *montibus altis* consedisse comperimus (38 sq.).

33) Praeter appositionem *cauti providique* sim. (Thes. III 641, 6 sq.) haec exempla ex archivo Thesauri deprompta afferre sufficiat: Hor. carm. 3,5,13 *hoc caverat mens provida Reguli*. Ov. fast. 2,60 *cavit ... provida cura ducis*. Plin. paneg. 34,2 *provida severitate cavisti*. Veg. mil. 4,38 *providos cautela tutatur*. Ceterum Corippus vocabulo *providus* usus est Anast. 42. Iust. 1,24. 182. 212. 3,402. 4,198.